

Winand Petersdorff von

De Dignitate Et Utilitate Eloquentiae : Oratio


Rostochi[i]: Sax, 1614

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729137295>

Druck Freier  Zugang



W. a. Petersdorff
R. U. phil 1614.



DE DIGNITATE 2
ET UTILITATE
Eloquentiæ,
ORATIO,

*Scripta, & in illustri ad Varnum Academia
publicè recitata,*

3. Non. Julij, Anno M. DC. XIV.

à

WINANDO à Petersdorff/
Equite, Marchico.



ROSTOCHI

Per MAURITIUM SAXONEM. ANNO M. DC. XIV.

NOBILITATE GENERIS, VIRTU-
te, eruditione, multoq; rerum usu
conspicuis VIRIS,

- DN. HENNINGO à Reichen / hæreditario in
Kozis / Reichersdorff & Gottesfried.
DN. IOACHIMO à Thuem / in Willmersdorff.
DN. LIBORIO à Petersdorff / in Behnsdorff.
DN. ELIÆ à Domsdorff / in Granaum.

Avunculo magno
avunculo,
Patrueli, curatoribus
vitrico

amandis, honorandis, colendis

hoc quicquid est exercitij oratorij

*In debita gratitudinis symbolum
studiorum meorum indicium
profectus qualiscunq; specimen
perpetue observantia argumentum
câ quâ decet & par est
reverentiâ.*



O. & D.

WINANDUS à Petersdorff /
Eq. Marchi

O. M. V. D.
ELOQUENTIAE,

*Quae pacis est comes: otij socia: benè constituta
Reip. quasi alumna: Principum ornamentum:
ingenij humani lumen:*

DIVINAE ILLIUS REI
STUDIUM
commendaturus,

Nobilitate & virtute præstans vir-Juvenis
WINANDUS à PETERSDORFF,
Eques Marchicus,

ORATIONEM
recitabit

Cras h.9. in Archæo Collegij Philosophici Boreali:

Cui ut præstantia materiæ audientiam faciat, & æ-
quum est: & ut hoc apud Clarissimos, præstan-
tissimos, ornatissimosq; omnium ordi-
num hujus Academiae cives obtineat:
officiosè peramanterq;
rogo.

JOANNES SIMONIUS.

P. P. Rostochij a. d. 12. Iulij ANNO

M. DC. XIV.


AD
NOBILISSIMUM, DOCTISSI-
mum, Ornatissimumq; Juvenem Virum,
DN. WINANDUM PETERSDORFFIUM,
De ELOQUENTIA Perorantem.



*E*t vetus est verum si vulgi credimus ori
Nobilis ille cluet, quem nobilis ardor honoris
Et virtutis amor, magis amantis tangit amore.
Est tua Nobilitas, patrium si quaesimus ortum,
Et praecleara satis, nitidus sed pectore fulgor
Qui splendet, magis est, istam tumq; uberat ille.
Quem crepido tenuit, quiq; erro saepe vagatus,
Ludius est glabrior qui plus quam volsus abivit,
Eloquio potis est, quando volitare per astra,
Eloquio quasit? quidni res magna geratur?
Sis, vectos tu dic quare ad palatia REGVM
Ipse vides multos, humili de stirpe creatos,
Eloquij vox suada fuit, qua Rhetoris arte.
Demulcerq; animum Regum tum trudit ad aras,
Maeste PETERSDORFFI, vestigia pressa sequaris
Heros non animo, quin est virtute cluebis.

L. Mq; faciebat.

M. GERHARDUS TIDEMAN:
Lubec.



DE DIGNITATE ET
UTILITATE

Eloquentia,

ORATIO.



EMINEM vestrum puto Aud. esse, qui non sit in ea sententiâ, ut existimet, operæ pretium facturum eum, qui hanc provinciam in se suscipiat, ut in hoc laudabili confesso, luculentâ & perspicuâ oratione demonstrare conetur, quid tandem de his ipsis exercitationibus sentiendum sit: anne ex re & utilitate studiose juventutis sit, in eo operam, curam, industriam, laborem, omne deniq; ut uno verbo dicam, studium insumere: ut unicam illam benè copioseq; dicendi facultatem, quam Eloquentiam vocant, quamq; nos omnes unice deperimus, nobis comparemus, acquiramusq;. Semper enim ab omni ævo, reperti sunt homines, tam rudi agrestiq; præditi ingenio, ut præclarum, hoc Eloquentiæ studium, omnibus rebus posthabuerint, sibiq; unice persuaserint, malè perdi tempus omne, quod Eloquentiæ studio impenditur. His ut obviam eamus, & contra hos ut animos nostros salutare antidoto obfirmemus, omninò necessarium esse existimo. Quod si quis fortè sit, cui hæc opera nostra supervacanea videatur, nec magni interesse, hanc rem paulò accuratius à nobis pervestigari: imo potius gravius aliquod argumentum, ad dicendum eligi debuisset, hoc tanti non esse, de quo in vestrà præsentia verba faciamus: annon eum in rerum maximarum utilissimarumq; ignoratione versari necessum esse, mecum essetis judicaturi?

Λ

Quis

Quis enim adeò mentis inops, qui ignoret divinam illam vim
& majestatem Eloquentiæ? Cujus verè regium est studium, eò quod
omnia humana, se hujus imperio ultrò submittant. Illa verè flexa-
nima, quocunq; vult, homines impellit: quodcunq; vult, iisdem per-
suadet; dictis animos regit & pectora mulcet. Hæc homines
ad virtutum studia, honestatis amorem, ad vitiorum fugam hortatur,
adducit: sine quâ si esset, brevi virtutem ipsam incultam neglectamq;
videremus: adeoq; homines horrendâ metamorphosi in bestias vicif-
sim transmutari. Quapropter nemo est, qui nobis non etiam suum
calculus addat, rectèq; fieri putet, si in hoc Eloquentiæ studio &
studio penitus dispiciamus, quid de Eloquentiæ studio [nobis
sit statuendum: annè huc omnis opera nostra sit conferenda, ut non
tantum pectus, sed & linguam, probè excolamus; nec minus faciendæ
quam sapientiæ studeamus: an contrâ, posthabitâ omni Eloquentiæ
curâ, animum rerum cognitione instrui satius sit.

Quamquam verò Aud. in me non reperiam tantam dicendi fa-
cultatem, ut vel mediocriter tantum de Eloquentiæ laudibus dicere,
posse mihi videar, multò minus ipsius dignitatem & utilitatem ab ini-
micorum convitijs asserere possim, proindeq; metuam ne onus à me
susceptum humeris meis impar sit futurum, cui ego non sim ferendo:
tn. mirum in modum solatur me vestra humanitas, quâ antè me alijs
quoque exhibuistis; ex quâ spes lætior mihi affulget, id quod ex mea
tenuitate orationi huic defuerit, vestro id favore suppletum iri. Hæc
spe fretus, nō faciam longius, quin id quod in me semel suscepi, forti-
ter viriliterq; perficiam: dum vobis paucis ostendam & quantum
potero, clarum faciam, Eloquentiæ omninò studendum esse, optimèq;
locari hanc operam, quæ illius studio impenditur. Id quod vobis
tum vel ipso meridiano sole clarius patebit, ubi quæ sit ipsius summa
dignitas cum incredibilem pariter utilitate & necessitate conjuncta,
cognoveritis. Vos Aud. tenuem orationem favore & benevolentia ve-
strâ benignè excipite & ad brevissimi temporis usuram vacivas ve-
strarum aurium ædes nobis præbitote.

Atq; ut hinc potissimum dicendi initium faciam: dico, Elo-
quentiam rem esse longè dignissimam, quæ sui præstantiâ nulli præ-
claræ rei vel minimum cedat, multis meritò præferenda. Quid e-
nim quæso Aud. aliud est Eloquentia, nisi benè sapienterq; dicendi fa-
cultas

cultas? Quid verò benedicere est, nisi posse oratione dilucidâ perspicuâ, ornatâ, gravi & amplâ, materiam ad dicendum propositam effere? aut quid est sapientia aliud, nisi cognitio multarum rerum & maximarum disciplinarum, utilium ad finem vitæ humanæ? Vestram fidem obtestor Aud. anne quis vestrum est, qui vel verbis quidquam, exprimere, vel mentis acie complecti possit, quod non dico singulis hisce, sed his duobus junctis, h. e. oratione eruditâ, & rerum maximarum cognitione aut sit præstantius aut magis dignitate plenum? Quod si non est: quis amplius inficias ire poterit, Eloquentiæ maximo perè studendum esse? Etenim in confesso esse statuo, omniumq; hominum animis firmiter infixum, omnem rem suâ naturâ præclaram, maximè dignam esse, in quâ exactè cognoscendâ homines omnem suam operam ponant. Nihil enim est, quod magis deceat, ingenium hominis liberale, quàm in præclarissimarum rerum studijs omnes suos nervos viriliter intendere, in illis desudare, defatigari: præsertim cum naturæ hominum nihil magis adversetur, quàm inertia, & rerum bonarum ignorantia. Quæ si ita se habent, (ut omnino se ita habent) fatendum meritò est, Eloquentiam præ reliquis omnibus artibus & disciplinis, cum alijs, tum inprimis illustribus in republ. viris diligenter addiscendam esse. Id quod nobiscum, uno ore fatetur Cicero virorū politicorū, quotquot unquam fuerunt eloquentissimus, qui palàm testatur principibus Eloquentiam maximè ornamento esse. Ac profectò, si quis vestrum est Aud. qui unâ mecum repetitâ omnium temporum memoriâ, in priscos illos & laudatissimos Reipubl. gubernatores inquirere aliquantò diligentius voluerit, quibus illi artibus maximè studuerint, quibus rebus inclaruerint: is certè reperiet, si quâ ullâ aliâ, certè & Eloquentiâ Heroas & Semones illos excelluisse. An enim ignoratis Nestoris Pyliorum ducis Eloquentiam? quæ tanta fuit, ut in proverbium abierit: quo utimur, si quandò senilem suaviloquentiam significare volumus. Huic enim viro, poëtarum pater & princeps Homerus, ut tria secula, ita plus quam mellitam quandam facundiam adscribit, in præclarissimo opere cui Iliada nomen quos versus latinè redditos addam:

*Post hos assurgit Pylus dux ille disertus
Nestor, cujus ab ore fluit vox melle liquenti
Dulcior.*

A 2

Non di-

Non dicam jam de Menelao, Spartæ Rege facundissimo: non Solonem Atheniensem legumlatorem: non hujus æmulum Pisistratum commemorabo, viros, me herclè, tum sapientiæ, tum Eloquentiæ laude celeberrimos. Missum faciam Alexandrum M. belli istud fulmen, quem passim historici, ad hanc classem referunt. Cajum Jul. Cæsarem modò, qui Alexandro in nullo quoquam concedere voluit, vobis ob oculos pono. Hic, Plutarcho teste, elegantissimâ quadam præstantiâ florens, in perorandis causis, tum maximam in plebe benevolentiam, tum secundum sibi in urbe locum quæsit. Hic ipse, quàm venustè quàm eleganter commentarios de bello Gallico conscripserit, novistis ipsimet AUB. qui in legendo facundissimo autore, bonas horulas insumere consuevistis. Una de ijs doctorum hominum est sententia, una vox; hoc ipso commentandi genere Cæsarem non tam præbuisset, quam præripuisse scribendi occasionem, illis, qui alioqui res ipsius præclare gestas, seræ posteritati, literis consignaturi fuissent. Et ne in illis simus toti, quæ tantum à nostrâ memoriâ remotæ sunt: recentia & propè adhuc spirantia Eloquentissimorum Principum exempla, & quidem è dulcissimâ patriâ nostrâ, Germaniâ, huc adducam. Quis enim in literis versatus, ignorat aut Joannem Magnum, Marchionem & Septemvirum Brandenburgicum, quem propter admirabilem dicendi facultatem Ciceronem Germanicum appellarunt? aut hujus filium, Joachimum I. Archipræfule Moguntini fratrem, Electorem item Brandenburgicum, dicendi facultate excellentem Heroem, quem constat in comitijs illis celeberrimis, quæ Anno 1530. Augustæ Vindelicorum celebrata sunt, & Campegium Cardinalem Pontificis Rom. legatum, nomine Clericorum, oratione Latinâ & splendidâ excepisse; & Legatis Liburnorum, cum opem Imperij contrâ Turcas implorarent, Latine: & Legatis Protestantium, nomine Cæsaris Caroli V. ornatè respondisse? ut taceam Joannem Fridericum, qui est in benedictione, & Philippum II. qui hoc tempore reip. præest, Duces Pomeraniæ & alios per Germaniam clarissimos Principes, laude Eloquentiæ insignes: suoq; exemplo comprobantes, tum, quam verè Cicero dixerit, Eloquentiam Principibus maximo ornamento esse, tum quæ sit Eloquentiæ dignitas, quanta amplitudo, quanta majestas. Quanquã verò verissima hæc & sana sententia nostra, tot tantisq; nitatur rationum momentis, tot tantisq; prudentissimorum po-

rum politicorum testimonijs sit firmata: tot tantorumq; illustrium Virorum factis exemplisq; approbata. Attamen non pauci, ab omni ævo sunt reperti, hodieq; reperiuntur, quibus præclarum hoc Eloquentiæ studium, non minus, quam clarum aliquod incendium aut, fulgens cometa, usq; adeo est exosum, ut omnem, quam in eo ponimus diligentiam, non improbent tantum, sed damnent. Hi autem, dicere non verentur, Eloquentiam rem turpem esse: si quidem eâ homines de industriâ, datâq; operâ decipiantur, opprimantur boni & innocentes, mali defendantur, fontes ac nocentes pœnis meritis eripiantur, & quod omnium maximum est dictuq; horrendum, pax & tranquillitas ipsius Reip. turbetur, subvertaturq;. Nec enim fieri aliter potest ubi hæ artes florent, ubi innocentia jacet, feritas dominatur, quin republ. ipsa brevi intereat. Ideoq; Socrates qui solus sapere, non ab hominibus, sed ipso oraculo judicatus fuit, artem dicendi, artem coquinariam esse dicebat: artem obsonandi, artem fucandi. Quid enim aliud agunt Oratores, egregij, si Dijs placet, Viri, quam, ut suavissimorum verborum lautissimo apparatu, Judices decipiant, tanquam coenâ aliquâ illos inescant, obsonia ipsis apponant, i. e. latranti cani offam aut panem objiciant? annon verò egregiè fucum, judicibus faciunt? dum innocentem, capitis reum agunt: cum eum qui capitis damnandus erat, tam scitè exornant & summis decorant honoribus, ut pœnas meritas, ipsorum Judicum sententiâ & calculo facilè effugiat? Gloriatur ipse Cic. Cluentium se judicibus puniendum eripuisse, nullâ aliâ arte, quam hâc ipsâ, de quâ nunc sermo nobis est, Eloquentiâ, nebulis scilicet eorum animis offusis. Haud aliter, damnatus est Æschines, vir alioqui probus & justus, quàm caninâ facundiâ ipsius Demosthenis, qui turbida Atheniensium consilia, orationis flabro ceu vento quodam agitare consueverat. Quid Pericles de quo Aristides dicere solitus est, ipsum reliquos oratores in dicendo sedecim pedibus præterijisse. & de quo Eupolis Comicus inter Græcos non postremè laudis, M. Tullio in Bruto teste, scribit, Suadellam Deam in ipsius labijs sessitâsse: quid ille tandem per Eloquentiam suam effecit, nisi quod orationis suæ facibus bellum Peleponnesiacum inflammavit, maximo totius Græciæ damno, quæ tum unocula est facta, urbisq; Atheniensium fato horrendo; ut rectè de eo Poëta dixerit:

Tonat, coruscet, misceat omnem Græciam.

Hæc scilicet egregia laus est Eloquentiæ, hæc ipsius encomia, hæc oratorum Clarissimorum immortalis gloria. Mirum itaq; si qui reperiantur, qui audeant rem pariter (ut illi volunt) turpissimam atq; perniciosissimam summis laudibus extollere, cū potius deceat dehortari omnes eos, qui aliquandò præclaram reip. operam sunt daturi, ut pestilens hoc Eloquentiæ studium, quantum possunt, fugiant, vitent, execrentur. Ita illi perversè de Eloquentiæ studio sentiunt Aud. Sed si nobis dicere liceat, id quod res est: profectò faciunt illi homines, ut nimis intelligendo nihil intelligere videantur.

Homines enim isti talpis ceciores, planè non advertunt, quantum discriminis sit, inter hanc benè copiosèq; dicendi facultatem, quam Eloquentiam nuncupamus, quæ maximo mortalium bono inventa est; & inter Sophisticam hujus emulatricem. Hæc enim ipsa Sophistica est, quæ hominibus adulatur, quæ palpum ipsis obtrudit, quæ illis fucum facit, quæ cerussam, quæ calamistros & plura id generis alia ad hominum perniciem adhibet. Hæc pessimus quisq; ad fallendum, decipiendum, fraudandum utitur; hæc homines simplices nō aliter ac aucipis fitulæ stultæ aviculæ in retia pelliciuntur; hæc sepè prudentibus & circumspectis imponitur, hæc fontes proteguntur: hæc premuntur immeriti, hæc calliditatem adhibet: hæc omnia suis metitur commodis: hæc nihil sacrum nihil publicum habet: huic omnia sunt profana, vilia, venalia. At contra Eloquentiam mihi vide: hæc Deo & hominibus grata & salutaria dicit. Hæc pacis est comes ocijq; sociæ & jam cōstitutæ civitatis velut alumna quædam, quæ boni viri ad comoda publica & privata provehenda laudabiliter utitur. Hæc sapientiam adhibet, rem divinam, suiq; naturâ laudabilè: quæ si hominum oculis conspiceretur, mirabiles sui amores & desideria in mentibus nostris concitaret. Hæc deniq; omnia refert ad comoda vitæ humanæ juxta præscriptū & normam legum honestarū, quas orator sibi perpetuò oculis proponit, ad earundè dictamen, omnes actiones suas componit & salutem populi supremam sibi legem esse patitur. Quis itaq; non videt, maximam Eloquentiæ cultoribus ab istis malè feriatis, fieri injuri-

am, qui

am, qui cœlum terræ, ignem aquæ miscent, naturæ bellum indicunt, cum res suâ naturâ diversissimas, Eloquentiam cum Sophisticâ confundunt, hujus vitia istius præstantiæ ascribunt? Itaq; quanti ipsorum hæc in parte judicium nobis faciendum sit, lubens in medio relinquo. Par eorum infania est, qui obijciunt nobis exempla Demosthenis, Ciceronis aut aliorum, qui suis donis abusi Eloquentiam à Dijs immortalibus ad salutem hominum datam, ad bonorum pestem perniciem convertere; quiq; ipsi proprio periére eloquio, ut Poëta inquit. quasi v. Eloquentia hæc peccârit, & nō potius homo, qui illâ abusus est. Quanq; si accuratè rem consideremus, nō est hominis, sed ejus qui humanitatē exuit, si quis Eloquentiam, ad salutem hominum & conservationem datam, ad bonorum pestem perniciemq; convertat. Quod ipsum etiâ D. Augustinus innuit, cum dixit: Eloquentiam in homine pravo, esse venenum in poculo aureo. Rectè omninò vir sanctissimus, non ipsi Eloquentiæ; sed homini: & quidem non ipsi homini; sed homini pravo adscribit, si Eloquentia præter sui naturam, sinèq; suâ culpâ quibusdam noceat: quod tantum abest, ut Eloquentiæ dignitatem & præstantiam imminuat, ut potius id ipsum cum omnibus rebus bonis, virtute solâ exceptâ, commune habere videatur: quæ quò sui naturâ sunt præstantiores tantò perniciosior est earundem abusus.

Quis enim nescit, & in ducibus & in magistratibus & in medicis & in ipsâ deniq; sapientiæ professione, pestem quandam inesse? nam & Dux Flaminius: & Gracchi, Saturnini, Glauciz, magistratus; & in medicis venena; & in ijs qui philosophorum nomine malè utuntur, gravissima nonunq; flagitia deprehensa sunt. Cibos aspernemur; attulerunt sæpè valetudinis causas: nunq; subeamus tecta, super habitantes aliquando procumbunt; non fabricetur militi gladius; potest uti eodem ferro latro. Quis nescit, ignes, aquas, sinè quibus nulla est vita; & ne terrenis immorer, Solem, Lunamq; præcipua syderum, aliquando etiam nocere?

Execrandi itaq; & detestandi nobis meritò fuerint Aud. isti Eloquentiæ mastiges, qui suis calumnijs Eloquentiæ laudem vellicant, rem omni laude, omniq; veneratione dignissimam convitijs, petunt.

Contraq;

Contraq; omninò sentiendum est, id quod sæpius quoq; & repetendum & inculcandum venit, præclaram rem esse Eloquentiam, dignitatisq; plenam, eiq; meritò omnem operam, omne studium & diligentiam nostram consecrandam, adhibendam. Sed quod ita Eloquentiam meritis ornamus encomijs, credo equidem Aud. id vobis dignum vestrà attentione videri, tum conveniens nostræ personæ, quam in præsentia suscepimus. Laudanda enim ea sunt, quæ ad amplificandam honestarum artium dignitatem & excitandum in hominum animis earundem studium pertinent. Vereor tamen, ne hoc incommodi habeat nostra oratio, ut illi qui vel errore vel animi pravitate ducti, minus dextrè de hoc studio sentiunt, animis suis persuasum habeant, Eloquentiam à nobis laudari, non quod sui naturâ talis sit, quæ laudem mereatur; sed quod hoc in nos receperimus, ut eam sive veris sive fictis laudibus cumulemus, non aliter atq; agyrtæ Panacæam suam, aut olea sua, multis commendare solent, cum tamen illa ut plurimum, nullum sui usum hominibus præbeant. alioqui necessum non esset, ut rerum summè utilium, verbosam commendationem quis instituat: cum ut in proverbio est, vino generoso, non opus sit suspensâ hæderâ. Verum si qui sunt, qui ita sentiunt, illi satis superq; re ipsâ si non verbis profitentur, nescire se, quanta sit Eloquentiæ necessitas & quam fructuosa utilitas.

Quæ duo jam in lucem producenda à nobis sunt, ut vel inviti adversarij nostri fateri cogantur, longè plura à nobis, in Eloquentiæ laudem dici & debuisse & potuisse, quam quæ temporis & loci ratione habitâ, à nobis in medium sunt prolata.

Hoc itaq; nobis concedent, opinor, illi quicumq; fuerint: sinè cuius rei cognitione nemo unquam viri politici nomen est consecutus nec consequetur unquam: ejus rei discendæ necessitatem summam & inevitabilem incumbere ijs omnibus, qui hoc in primis suarum, laudum statuunt, ut quandoq; viri boni & politici dicantur. Quod ipsum ita planum est, ut qui id pluribus demonstrare conetur, soli faeces adhibere censendus sit. Etenim quæ à rei alicujus constitutione nequaquam abesse possunt: quis ea ad rem illam non necessaria esse rectè dixerit. Sed quæ illa sint viri politici *πολιτικοί*, quibusq; ille carere nulla ratione potest videamus. An non enim boni politici est, cognitû perspectumq; habere, quomodo tum illa quæ reip. in qua versatur

spectumq; habere, quomodo tum illa quæ Reip. in quâ versatur, utilis
 esse duxerit, in senatu, in curiâ, in concione sint proponenda: tum ea
 quæ vel proposuit ipse, rationum ponderibus firmanda, aut quæ ab a-
 lijs allata, si bona probanda, si mala rejicienda sint? tum etiam in his o-
 mnibus rationem aliquam tenendam, ea quæ domi cogitavit, ordine
 convenienti & apto, quiq; ad victoriam obtinendam accommodatus
 fuerit collocandi & disponendi? deniq; eam virtutem tenendam,
 quâ ea quæ ita cogitata & meditata sunt, tum ritè inter se connexa,
 verbis & sententijs, in medium proponere possit? quæ omnia, ut boni
 oratoris & eloquentis viri esse nemo non agnoscit, sic politicus nisi
 præstiterit, haud majorem politici laudem reportabit, quam ille Impe-
 ratoris boni, qui cum nec exercitum ipse colligere nec collectum in-
 acie rectè disponere noverit, tamen inermem militem contra instru-
 ctissimas hostium acies educere vellet, qui tamen tantum abest, ut Im-
 peratoris boni nomen ferat, ut vix inter gregarios milites connume-
 randus esse videatur. Sed & maximoperè necessaria est viro verè po-
 litico, qualem hîc nobis proponimus, illa facultas, quâ possit non so-
 lum perspicuè animi sui sensa proponere; sed & mediocriter, de me-
 diocribus; de amplis verò & gravibus, magnificè verba facere. Quî
 enim oratio etiam gravissimis sententijs stipata intelligi aut percipi
 poterit, nisi orator perspicuis & maximè proprijs verbis rem efferat,
 nisi verbis utatur claris & dilucidis, quibus reconditi humanæ mentis
 conceptus, ceu facibus quibusdam illustrentur? oratio autem cu-
 jus summa virtus est perspicuitas, quam erit, quæ so, vitiosa, si egeat in-
 terprete? Scilicet est oratio mentis interpres, character animi. Jam
 si quis interpretis munus in se suscipere velit, qui ipse tamen alio in-
 terprete indigeret, si intelligi velit; quomodo is suo munere fungi
 videretur? quomodo non sibilis & cachinnis ab audientibus exciperetur?
 Scitè itaq; & ad rem appositè Philosophorum aquila: O-
 ratio inquit, nisi sensa mentis aperiat & rem declaret, non fungitur
 suo munere, Ac certè Aud. nonne & nos idem dicemus? Damnatûr ve-
 stes bobicinæ, polymitæ, quas multitia dicimus, & dānantur ideò, quod
 ob filorum subtilium raritatem corpus non benè tegant, nec illud à so-
 lis ardore aut frigoris injuriâ aliquo modo defendant: cum tamen,
 nullus sit alius usus vestimentorum vel finis, ob quem illa primitus,
 sint inventa, Nos, Aud. laudabimus eam Eloquentiam, quæ suum

B

finem

finem non assequitur. ? quæ rem non explicat sed implicat. ? non declarat sed obscurat. ? non evolvit sed involvit. ? Nemo nostrum, ut opinor est, qui in hanc tam absurdam mentem, se unquam abripi patiaritur. Cum enim ideò datus sit homini sermo, ut sensa animi aperiret alijs, communicareq; cum illis res necessarias possit, quæq; velit, quæ nolit non dubijs incertisq; indicijs, ceu nutibus possit ostendere; sed verbis manifestis & intelligibilibus enunciare. : cum hæc ita sint; quis obscuritatem dicendi non rideat eamq; ex agro nostro eijciendam esse non censeat. ? inprimis, cum proprium hominis decus sit oratio perspicua & decora. Cum enim nos homines multis rebus humiliores & infirmiores simus, hæc tamen re maximè bestijs præstamus, quod loqui possimus. qui autem perspicuè decoreq; dicendi facultatem consecutus est, hic in eo laborandum sibi censuit, ut quo uno maximè bestijs præstet, in hoc hominibus ipsis antecellat. quæ res tam decet hominem, tamq; est hominis propria, ut multò magis contemnendum majoriq; infamiã notandum, affirmarint viri prudentissimi, eum; qui oratione rectè uti non possit, quam eum, qui robore corporis se tueri nequeat: quem tanquam ignavum & timidum passim contemni, certum est. Quod si jam proprium hominis decus est oratio perspicua & decora: quantò magis politico necessaria, erit oratio clara & perspicua, in quã ille decorum diligenter observaverit; quãq; hic noster reliquos homines, tanto post se intervallo relinquet, quanto hominum genus, bruta animantia exsuperat. ? Sæpè enim in ea tempora incidit hic noster politicus, sæpè ejusmodi causæ & casus ipsi obtingunt, ut necessum habeat, uti artificijs oratorijs, quæ si ignoraverit, parum aut nihil proficiet. Cum enim iudicium animi sunt movendi, ad iram, ad odium, ad indignationem, adversus reum, flagitiosum, præfractum, impium: quid faciet politicus, nisi rationem animorum movendorum habuerit benè cognitam. ? Idem erit, si innocenti benevolentiam & misericordiam conciliare conetur. In, quibus omnibus sedulò spectandum est quid deceat: quod nemo melius quam orator bonus noverit. Hic in oratione, nihil arroganter, nihil superbè, nihil fastuosè de se dixerit; non se nimium deprimet ipse, non se abijciet: medium ubiq; servabit, mediã incedet viã & quod nos dicimus decorum, præ oculis semper fixum habebit. Noverit ille se beneficium, noverit officiosum ostendere. Ad hæc rebus ipsis

bus ipsis ad tractandum propositis, convenientem & congruentem orationis, verborum & sententiarum habitum accommodabit, de humilibus submissè, de mediocribus temperatè, de magnis sublimerè, dicet, ut ubiq; id quod decens & conveniens erat, accuratè observâsse videatur. Id quod & Cicero Politicus & orator summus in suo Oratore, qui nihil quàm boni politici pictura est, pluribus inculcat. O scientiam oratoris admirabilem! ô scientiæ oratoriæ vim, ejusq; cognoscendæ necessitatem viro politico maximè necessariam!

Fingamus enim Aud. politicum ignorare ea quæ modo diximus boni esse oratoris: ut fortè movendorum animorum ratio ipsum lateat: magno id periculo certè fuerit reo innocenti; qui odio magis quam crimine gravatur, quem aliorum potius, quàm proprium scelus in judicium protrahit. Faciamus, eidem accusandum esse hominem facinososum, sacrilegum, raptorem, adulterum, homicidam, qui tamen singuli gratiâ apud iudices valeant: quid hic iterùm politicus valebit, si non Eloquentia valuerit? Id quod vobis constabit Aud. ubi apud animum revolveritis Verris historiam, quam ignorare non potestis. Ut verò non dicam, si politicus ille aut arroganter aut abjectè de se, quidquam dixerit, quam brevi omnem gratiam sit perditurus: illud modo vobiscum expendite, si rebus ipsis oratio non satis conveniat, sitq; vel ornatio quàm decebat, vel etiam non satis expolita, quis ejusmodi dicentem sine molestiâ audiet? Sunt politico verba facienda de stillicidio vel flumine in ædes suas vel in arcem vel in cloacam recipiendo vel non recipiendo: dicendum ipsi est de fœtu animalium, de alluvione, de mutatione alvei, de anseribus & gallinis, & de alijs privatorum controversijs: annè quisquâ est, qui hunc de rebus humilibus magnificè & amplissimis verbis differentem, diutius sine risu aut indignatione sustinere possit? non puto Aud. uti nec is Politici nomen sartum tectumq; conservabit, qui de majestate sui principis aut de Rep. de pace, de inducijs, de fœderibus ineundis, firmandis, stabiliendis, de bello denunciando, inferendo, alijsq; rebus longè gravissimis submissè & subtiliter fermocinatus fuerit. Quæ cum ita se habeant, cumq; tam clarum tam manifestum sit omnibus: Eloquentiam viro politico pernecessariam esse: mirandum certè est, calumniari nonnullos audere, ac dicere, nil aliud esse Eloquentiam, quàm ventosam quandam jactantiam. Sed quid quæso optima-

rum rerum, à calumniatorum morſu liberum eſt? Auſus eſt quondam Momus, ſi Poëtis fides habenda eſt, Deorum opera culpare: & hodiè mirum, ſi ejuſmodi nonnulli reperiantur, qui optima quæq; ipſaſq; virtutes Theonino dente petant? Sed tantum abeſt quo maledicta, ejuſmodi res pulchras deturpent, ut potius conviciatorum vanitatem & extremam inſcitiam prodant, detegantq;. Quis enim niſi ſtultus inſicias ibit unquam, eam facultatem, quæ docet nos oratione tractare res bonas vitæq; hominum neceſſarias & ſalutares, eam inquam, ſcientiam, politico verè politico, ſcitu cognituq; per neceſſariam eſſe? Quid verò aliud docet Eloquentia, aut quæ alia ſcientia eſt, quæ hoc præſtet? Hæc templis præeſt: hæc ſacra moderatur; hæc de Deo, de religione, de vitâ verè beatâ, de rebus alijs plurimis, ad animæ ſalutem neceſſarijs, populum erudit, docet, commonefacit. Hæc curiam ingreditur & ut initiò homines à ferâ immaniq; vitâ ad humanitatem, ad hanc civilem ſocietatem avocavit; ita porrò hominum cœtus conſervat, tuetur, defendit.

Hujus beneficio jura conduntur, leges rogantur, ſenatus conſulta promulgantur. Hæc belli pacisq; moderatur habenas, hæc claſſicum canit, hæc militum animos, ad virtutem & fortia facta, laude & præmijs propoſitis accendit. Hæc canit receptui, hæc inducias facit, pacem impetrat, foedera ſancit, regna regnis, reges regibus concordix & benevolentix vinculo invicem devincit. Pacis hæc alumna & tranquillitatis focia, pacato Reipubl. ſtatu, omnium curam, ſollicitè obit: quid in civitatem importari, quid civitate exportari conveniat, nervoſâ oratione ſuadet: quomodo veſtigalia imponenda, augenda, minuenda pulchrè oſtendit. Imò nec privatorum congreſſus horret: contractibus, negotijs gerendis, adjumento eſt: mercatores quotidie juvat, imò & ædes noſtras ſæpiculè ingreditur & patremſam. in adminiſtrandis negotijs domeſticis, regendâ uxore, liberis, familiâ inſtruit. Quibus omnibus non ſufficeret dicendi ratio, ſi illa tantum in verborum volubilitate aut ingenij acumine vel etiam in ſolâ dicendi peritiâ conſiſteret: non etiam maximarum rerum cognitionem deſideraret, ex quâ, tanq; ex ſaluberrimo quodam fonte, tot tantæq; utilitates in omnes vitæ partes copioſè dimanarent: ut nō immeritò Sophiſtas veteres, Ariſtoteles, hoc nomine reprehendiſſe cenſeatur: quod relicto probationis corpore, ſolummodò quibusdam ve-

dam veluti rerum umbris, quas ibidem *περὶ ἡμῶν* vocat, docendis in-
hærent. Cicero utiq; Romuli nepotum disertissimus, Eloquentiæ
fundamentum statuit esse rerum cognitionem. Ex rerum, inquit,
cognitione, efflorescat & redundet oportet oratio: quæ, nisi subest, res
ab oratore percepta & cognita, inanem quandam habet elocutionem
& penè puerilem. Quapropter nemo ambigere potest, viro politico
tam necessarium esse Eloquentiæ studium, ut sine illo non modò ad-
ministrare ea, quæ ipsius sunt officij & muneris, verum ne quidem no-
men tantum politici tueri possit. Sicut enim in picturâ aut statuâ,
non tam pretium materiæ aut opes & divitias ipsius pictoris vel sta-
tuarij laudamus, quam artem ipsam & quod illa archetypum sive rem
ipsam, cujus est imago, quam optimè representet: ita nec eum qui
vel divitijs abundat, vel qui potentiâ eminent, quiq; ab amicis, à clien-
tibus, est stipatus, Politici nomine dignabimur: nisi is quoq; hâc vir-
tute præditus fuerit, ut ubi id reipubl. exegerit necessitas, de rebus ar-
duis, aptè & decenter in publico verba facere possit. Atq; hoc adeò ve-
rum esse statuimus, ut si præter opes & divitias, præter potentiam,
præter amicos & clientes, aliq; id genus plurima, etiam hoc alicui
largiamur, rerum eximiarum peritiâ earundem pollere, scireq; ea om-
nia, quæ virum politicum decent: nisi tamen eloquio is ipse clareat,
vix esse asseramus, ut tam splendidum politici nomen mereatur aut
defendere queat: cum usu compertum sit, à mutâ & elingui sapienti-
tiâ, vix majora commoda sperari, quam à vanâ & inani garrulitate.
Fac verò aliquem in cœlum ascendisse, atq; ibi non solum corpora
coelestia vidisse, sed etiam eorum pulchritudinem, magnitudinem, or-
dinem, numerum, vim, & qualitates penitus dîdicisse: hic si rever-
sus ad mortales elinguis sit, aut tam balbus, ut nihil eorum, quæ ibi co-
gnoverat, oratione declarare possit: quid quæso prodesset huic homi-
ni tam multiplex tantarum rerum cognitio? aut quid ille ad genus
humanum utilitatis afferet? quomodò verò oratione res tantas alijs
communicabit? Idem planè dicendum est de Politico indiferto,
quemadmodum in scenis mutæ, quæ dicuntur, personæ, nihil effici-
unt, nihil eorum, quæ ad fabulam agendam faciunt, præstant: sic hu-
jus Politici viri nullum esse ad flectendos animos, ad ea quæ reipubl.
profunt, dictione tractanda, usum, si Eloquentiâ non sit ornatus, præ-
ditusq;. Valeant ergò qui pro Eloquentiâ jactantiam quandam

nobis venditant, quiq; putant eum sat eloquentem esse, qui de re quâlibet, etiam non intellectâ, plurima verba facere posset, quæ tamen ipsa, vix aures penetrent, tantum abest, ut pectus usq; auditorum pertingant. Bläterones istos & loquaculos esse, non disertos aut eloquentes putamus: hanc autem præstigiariam artem odio sequimur vehementissimo, nec quicquam illis nostrâ oratione patrocinari volumus. At quam; longè ab istâ vanitate abest Eloquentia? quam nobis defendendam sumimus? Hanc enim facultatem esse, quæ res bonas, utiles & necessarias, oratione ad captum maximè auditorum accommodatâ tractare doceat, ex ijs quæ hætenus à me breviter dicta sunt liquere satis confido. Cur itaq; non statuamus Aud. eam viro politico esse summè necessariam obq; id eandem in Republ. benè constituta sanctè retinendam? Rectè autem nos facere, qui honestissimarum rerum addicti studijs, olim & ipsi pro nostra virili parte Reipubl. commoda sumus curaturi, si in hac addiscendâ; multum laboris, curæ, industriæ collocemus, nec tantum pectus sed & linguam polire & perpolire conemur?

Hætenus de necessitate Eloquentiæ diximus tantum, quantum huic instituto nostro visum est satis: restat ut quantum ejus fieri potest brevissimè dispiciamus, insignem ejusdem utilitatem & fructum, in quo tandem desinet hæc nostra oratio.

Qui quidem fructus tanti sunt, Aud. ut vix verbis exprimi possint. Primò enim Eloquentiâ effectum est, ut homines hinc inde passim, in terris dispersi colligerentur, & ex feris mansueti, ex immitibus mites redderentur. Vultis hujus rei testimonia? dabo, Aud. Ita enim Cicero, fuit, inquit, quoddam tempus, cum in agris homines, passim bestiarum more vagabantur & sibi victu ferino vitam prorigabant, nec ratione animi quidquam, sed pleraq; viribus corporis administrabant. Nondum divinæ religionis, non humani officij ratio colebatur: nemo legitimas viderat nuptias: non certos, quisq; inspererat liberos: non jus æquabile quid utilitatis haberet, acceptat. Ita propter errorem atq; inscitiam, cæca ac temeraria dominatrix: animi cupiditas, ad se explendam viribus corporis abutebatur, perniciosissimis satellitibus. Quo tempore quidam, magnus videlicet vir & sapiens cognovit, quæ materia esset & quanta ad maximas res oportunitas animis inesset hominum, si quis eam possit elicere & præcipiendo meliorem reddere: qui dispersos homines in agris

in agris & in tectis sylvestribus abditos, ratione quâdam compulit in
 unum locum & congregavit, & eos in unam quamq; rem inducens u-
 tilem atq; honestam, primò propter insolentiam reclamantes, deindè
 propter rationem atq; orationem studiosius audientes, ex feris & im-
 manibus mites reddidit & mansuetos. Ac mihi quidem videtur hoc
 nec tacita nec inops dicendi sapientia perficere potuisse, ut homines à
 consuetudine subitò subverteret & ad diversas vitæ rationes traduce-
 ret, sed eos tandem Eloquentiâ persuasos, ea, quæ ratione inveniissent
 amplexos esse. Hactenus Cicero, cui consentit Poëta Lyricorum
 Princeps, cum canit:

*Sylvestres homines, sacer, interpretq; Deorum,
 Cadibus & victu fero deterruit, Orpheus:
 Dicitus ob hoc lenire tygres, rapidosq; leones.
 Dicitus & Amphion Thebæ conditor arcû,
 Saxa movere sono testudinû: & prece blandâ
 Ducere quo veller.*

Quòd nisi me animus fallit sapientissimus Poëta ex divino Platone
 hausit, qui in Protagorâ docet, Jovem humanæ saluti consulentem,
 statim post primos creatos homines Mercurium misisse, pudorem
 & justiciam hominum cœtibus illaturum, ut duo hæc, civitates orna-
 rent, devincirentq; & mutuâ benevolentia cives conciliarent. O E-
 loquentiæ vim incomparabilem! tuo beneficio homines ab errore
 ad rationem, ab ignorantia ad eruditionem, à crudelitate ad humani-
 tatem, ex tenebris deniq; ad lucem perducuntur. Tuo beneficio, ij,
 qui patientes tibi præbent aures, de rebus optimis erudiuntur: tuo
 beneficio hi qui Oratori dant operam, non solum maximâ delectati-
 one, quam ex cognitione rerum eximiarum capiunt, perfunduntur;
 sed simul quoq; à cupiditatibus revocantur & ad virtutum studia im-
 pelluntur. Ut verissimè à Seneca dictum sit: eum qui Eloquentiæ
 ornamentis se instruxit, tribus modis homines aggredi: aures pene-
 trando, oculos demulcendo, animos invadendo. O Eloquentiæ
 vim incredibilem, quæ tantum in animis hominum potes, quantum
 vis nulla potest. An non enim Aud. corpori vis adhiberi potest, animo
 autem non potest? Ast Eloquentia in animis hominum dominatur,
 quæq; honesta atq; utilia sunt, ea non facere modò, sed & velle eos-
 dem cogit. Ita audientium animos invadit, demulcet, penetrat. Age

verò

verò urbibus constitutis inq; disciplinam hominibus redactis, anne
quid amplius conducit Eloquentia? Ibi verò primum ipsius virtus
splendescere incipit. Si enim ingressi fuerimus curiam, iudicia, tribu-
nalia, videbimus utiq; ibidem regnum quasi exercere Eloquentiam.
Sunt in Republ. facinorosi homines, quibus nil sacrum nil sanctum
est, quibus alijs injuriam facere nequicquam est religio, qui bonos
supprimunt, innocentes affligunt: Ecce tibi Eloquentiam, quæ ulce-
ra & pestes ejusmodi reipubl. ad iudicium subfella, obtorto quasi col-
lo trahit & meritam pœnam ab ipsis poscit. Contrà alij boni & in-
nocentes, per calumniam, maximorum criminum rei aguntur, poten-
tiorum invidia & odio prægravantur: Ecce tibi Eloquentiam, quæ in
iudicio defendendos illos suscipit, ipsorum causam agit, iudici inno-
centiam eorundem demonstrat, ipsosq; tandem ad tranquillitatis &
securitatis portum lætos perducit. Ac certè Aud. cujus hoc ipsum
esset alterius alicujus munus, quam aut ipsius Eloquentiæ, aut elo-
quentis? quo quidem nomine solus ornandus est is, qui scelus, frau-
demq; nocentis potest dicendo subicere odio civium, supplicioq;
confringere: aut incitatum populum in bonos, mitigare. Intue-
mini quæso Aud. Sext. Rosc. Amerin. Hic parente per vim & in-
juriam miserè occiso, domo & laribus paternis ejectus, patrimonio
exutus, omnibus bonis spoliatus, fugiens latronum tela ac minas, Ju-
dicum sententijs occidendus ac jugulandus tradebatur, & quod omni-
um indignissimum erat, tradebatur ab ipso Chryfogono homine ne-
quissimo, qui ipse cædis admittæ cum complicibus suis reus erat, qui
ut divitijs affluebat, ita potentiâ, gratiâ, astutiâ valebat plurimum. Et
jam eò rem adduxerat Chryfogonus ut S. Roscius odio & suspitione
iudicium præmeretur, ac si paternæ necis autor fuisset; quæ duo ad cõ-
demnandum reum multum possunt. Quid tum putatis misero homini
antè oculos obversatum fuisse aliud, nisi virgas sanguineas & culeum
cui insueretur? Et actum de salute Roscij fuisset, nisi M. Tullius, o-
ratorum quotquot unquam fuerunt præstantissimus, Roscio opem tu-
lisset, eumq; divinâ Eloquentiæ vi, præsentis capitis periculo exemisset
calumniatorem iniquissimum convicisset. Idem ille Cicero, Verrem,
monstrum hominis, non hominem, scelus ipsum, non scelestum, quiq;
ut ipse ait, repentè è vestigio, ex homine, tanq; aliquo Circeò poculo,
factus est verres; hunc verrem Cicero, suis orationibus ita infecta-
tus est

tus est, vitia ipsius ita in publicum produxit, tam graviter ipsum accusavit, ut adhuc hodiè, malis & facinorosis hominibus, Verrinæ istæ actiones meritò sint terrori. Idem ille Cicero Eloquentiæ suæ fulvus munimine, Catilinam compressit, Italiam ob incēdio, civitatem à bello civili, exemplo apud posteritatem nunq̄; satis laudato liberavit. Dies me deficeret citius, quam oratio, si vel unius Ciceronis, non etiam aliorum oratorum exempla laboriosè conquirere vellem, quibus vobis planum facerem, id quod jam abundè constare puto, Eloquentiam bonis & innocentibus præsidio semper fuisse, malis & facinorosis formidini. Illud verò sicco pede præteriri haud decet, quantum in Eloquentiâ positum sit, ad continendos homines, in hac civili societate. Audacter dixerim: solem illum è medio tollere, qui Eloquentiam tollit ex civitate: ut enim absq̄; sole si esset, ne unum diem servari naturæ ordo hic posset; ita vix est, ut respubl. aliqua, vel ad exiguum temporis momentum, absq̄; Eloquentiâ vigere aut subsistere possit. Quis enim nostrum est, Aud. quem lateat, sinè amicitia, sinè mutuis officijs, ac studijs, ne quidem domum, nedum societatem, politicam consistere posse? At has amicitias, hæc studia efficit Eloquentia. Te Ciceronem, testem appello, qui confirmas, gravem esse & plenam dignitatis dicendi facultatem, quæ plurimas gratias, firmissimas amicitias, maxima sæpè studia pepererit. Te civitatē Romanam, orbis terrarum domitricem advoco, quæ, quod ad tantum dignitatis fastigium perveneris, non magis virtuti bellicæ quam Eloquentiæ tuorum civium adscribere habes: parum quippe foris armis profecisses, nisi domi Eloquentiâ & Sipientiâ, pulcherrimis habenis, cives in officio ipsa retinisses. Ita videre est Aud. tamdiu Atheniensium civitatem floruisse, quandiu virorum Eloquentium in eâ copia fuit, quorum hortationibus & monitis plebs fuit, obsècuta. Testatur id Philippus Macedonum Rex fortissimus, qui dicere solitus est, se magis unius Demosthenis metuere facundiam quam cunctas Atheniensium triremes, ballistas, catapultas, totum deniq̄; apparatus bellicum. Intellexit Rex sapientissimus, plus valere ad rempubl. firmandam disertissimorum virorum salutaria consilia, quàm armorum bellicorum copiam.

Sed ut in tranquillo pacatoq̄; reipubl. statu, maximus Eloquentiæ usus est in civitate: ita videmus propè majorem ejus esse
C
utilitatem,

utilitatem, ubi respubl. seditionum & diffensionum civilium quasi turbinibus & ventis quassatur. tunc etenim videre licet, quantum valeat is, qui pariter in linguâ atq; in pectore Mercurium habet. facundum. Expressit hoc Poëtarum Princeps, his verbis:

*Ac veluti, inquit, magno in populo cum sæpè coorta
Seditio est, sævitq; animis ignobile vulgus:
Iamq; faces & saxa volant, furor arma ministrat.
Tum pietate gravem ac meritù, si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectisq; auribus adsunt.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.*

Hæc ille. Vos autem ad. revocate vobis in memoriam Furij Camilli orationem, quâ ille plebem Romanam, Gallorum incurfione, infummas angustias, extremamq; paupertatem redactam, ædium conflagratione nimium gravatam, crebris Tribunorum concionibus agitatam, Deos penates patriosq; lares relinquere, migrare Vejos prohibuit: vastatam incendijs, ruinisq; urbem, inopem restaurare plebem aegit: secessionem à patribus, intentis Eloquentiæ nervis, plebi ipsi veluti inutilem dissuasit, atq; ita oppidum civibus cives oppido reddidit. Ponite vobis ob oculos Menenium Agrippam, qui ubi plebs Romana à patribus descivisset, inq; sacrum montè secessisset, à senatu ad plebem Orator missus, postquâ in castra venisset, solius Eloquentiæ ope exorator factus est, propositaq; rudi plebi fabulâ, de diffensione membrorum humani corporis, hoc effecit, ut plebs cum patribus vicissim in gratiam rediret.

Finxerunt veteres Galli, Herculem monstrorum variorum domitorem, senem, calvum, rugosum, leonis exuvijs indutum, tenentem clavam dextrâ, levâ arcum, pharetrâ de humeris suspensâ: ex ore catenulas tenuissimas extremo linguæ apici annexas habentem, quibus magnam hominum turbam, auribus suspensam, ad se, non repugnantem, sed alacrem pertraheret. Quid si removeamus hoc involucrium fabulæ, detegamusq; rem ipsam? Hercules ille Orator est eloquio potēs: huic cum bestia multorum capitum, cum plebe insanâ & furiosâ, non alijs quam Eloquentiæ armis, depugnandum est. Eloquentia ipsi clava est; argumenta tela sunt & lanceæ, quibus reluctantes ferit, sauciâtq;. Catenulæ ex ore prominentes sum-

res summisq; auribus circumstantium innexæ, verba sunt & sententia, quibus hominibus dulciter optima quæq; persuadet, eosq; in sententiam suam pertrahit. Cani, rugæ, senium, quid aliud denotant, nisi quod raro Juveni hæc felicitas contingat & quod in oratore multarum rerum usus & experientia requiratur.

Sed ne plura in hanc sententiam dicam, quod utiq; facile mihi esset, vestra facit Aud. humanitas, quâ abuti nec possum, nec volo. Illud adhuc paulisper apud animos vestros, vobiscum, quæso perpendite, quantum decus homini conciliet Eloquentia, quam laudem, quam gloriam, quam deniq; admirationem; ex multis millibus unum esse, qui in frequenti coronâ civium solus accommodatè, appositéq; verba facere possit.


Dux sunt artes, inquit Tullius, quæ possunt locare homines in amplissimo gradu dignitatis: una Imperatoris: altera oratoris boni, ab hoc enim pacis ornamenta retinentur: ab illo belli pericula repelluntur. Nec magis hæc dicit, quam suo nobis exemplo probat. Ipse homo novus, solâ dicendi facultate, ad summum, in Republ. Rom. dignitatis apicem conscendit, immortalē nominis sui memoriam, solâ & unicâ hâc benedicendi peritiâ sibi comparavit. Idem & antè Ciceronis & post ejus tempora, & alij plures fecerunt, eademq; viâ ad honoris & dignitatis templum grassati sunt. quos percensere omnes, labor esset; audire, non usq; adeo jucundum: quare lubens hoc munere supersedere malo. Tanta enim est utilitatum Eloquentiæ magnitudo, ut quocunq; tandem mentis nostræ converterimus aciem, videamus hanc ipsam & propemodum attingamus. Ecquæ enim vitæ est pars, in quam non hæc largiter fructus suos diffundat? Absq; Eloquentiâ si esset, jaceret divinus cultus, jaceret religio: non essent, qui publicè populum de suggestu docerent: Ecclesia Christi opinio citius collaberetur, templa desolarentur, scholæ, virtutis seminaria corruerent, curia, tribunalia, forum ipsum desertum atq; incultum conspiceretur: imò & vita communis plurimis eisq; egregijs utilitatibus careret. O saluberrimas utilitates ex præclaro Eloquentiæ studio, non aliter, quàm ex quodam copiæ cornu efflorescentes! O fructus immensos in privatorum usus ceu ex publico fonte per canales quosdam ex benè dicendi facultate profuentes! quis amplius reperietur

rietur, usq; adeò bardus aut stupidus, quis adeò impudens, qui non nobiscum fateatur, rem divinam esse Eloquentiam, omniq; laude dignissimam? Quare AUDITORES, cum tanta sit Eloquentiæ dignitas, tanta majestas, ut vix ulla alia major esse possit: cum tanta est Eloquentiæ necessitas, ut sine hâc nullo modo viri politici nomen quispiam tueri possit: cum deniq; tanta sit Eloquentiæ utilitas, ut illa se in omnes vitæ humanæ partes, quam largissimè diffundat: nemo ut spero, fuerit, qui amplius de eo dubitare velit, num Eloquentiæ sit studendum; sed potius omnes firmiter persuasum habebunt, optimè locari hanc operam, quæ illius studio impenditur.

Faciamus itaq;, quod hætenus fecimus commilitones & strenuè in hoc Eloquentiæ studio & studio pergamus, omnesq; ingenij vires, omnes nervos, omne animi robur huc intendamus, ut & pectus artibus bonis excultum & linguam dicendi peritiâ perpolitam habeamus. Ita nos spes pulcherrima fovebit, pulcherrimo hoc Eloquentiæ studio perfecto, posse etiam Rempubl. in partibus suis gubernandam, nobis concedi, posseq; à nobis quamplurimas, in Rempubl. civilem & Ecclesiasticam, utilitates proficisci. Id quod vobis omnibus, à Deo ter opt. max. ardentibus votis comprecor.

D I X I.





tus est, vitia ipsius ita in publicum produxit, tam gra-
 favit, ut adhuc hodiè, malis & facinorosis hominib;
 ctiones meritò sint terrori. Idem ille Cicero Eloqu
 munimine, Catilinam compressit, Italiam ob incèdi
 lo civili, exemplo apud posteritatem nunq; satis la
 Dies me deficeret citius, quam oratio, si vel unius C
 am aliorum oratorum exempla laboriosè conquire
 vobis planum facerem, id quod jam abundè constare
 tiam bonis & innocentibus præsidio semper fuisse, n
 sis formidini. Illud verò sicco pede præteriri haud c
 in Eloquentiâ positum sit, ad continendos homines,
 etate. Audacter dixerim: solem illum è medio
 quantiam tollit ex civitate: ut enim absq; sole si el
 em servari naturæ ordo hic posset; ita vix est, ut resp
 exiguum temporis momentum, absq; Eloquentiâ vi
 re possit. Quis enim nostrum est, Aud. quem late
 sinè mutuis officijs, ac studijs, ne quidem domum, ne
 politicam consistere posse? At has amicitias, hæc
 quantia. Te Ciceronem, testem appello, qui confisi
 & plenam dignitatis dicendi facultatem, quæ plurim
 simas amicitias, maxima sæpè studia pepererit. Te ci
 orbis terrarum domitricem advoco, quæ, quod ad t
 fastigium perveneris, non magis virtuti bellicæ quan
 rum civium adscribere habes: parum quippe foris a
 nisi domi Eloquentiâ & Sipientiâ, pulcherrimis hab
 cio ipsa retinuisse. Ita videre est Aud. tamdiu Ath
 tatem floruisse, quandiu virorum Eloquentium in ei
 rum hortationibus & monitis plebs fuit, obsecut
 Philippus Macedonum Rex fortissimus, qui dicere l
 gis unius Demosthenis metuere facundiam quam
 ensium triremes, ballistas, catapultas, totum deniq;
 cum. Intellexit Rex sapientissimus, plus valere ad
 dam disertissimorum virorum salutaria consilia, c
 bellicorum copiam.

Sed ut in tranquillo pacatoq; reipubl. statu
 quentię usus est in civitate: ita videmus propè ma

C

